



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtvte
Et Statv Religionis**

Qvo Quid Contineatvr, Index proximus indicabit

De Obligationibus Religiosorum ex Regula, Prælatione & subiectione
regulari prouenientibus, De varietate Religionum tam in genere, quàm in
specie, De Religione Societatis Iesv in particulari

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1626

XXV. An superiores religionum possint per priuilegia absoluere subditos
etiam à censuris specialibus ab homine.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93501](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93501)

Secunda ob-
formatio.

Tertia offer-
tio.

regularium, aut monachorum comprehendendi, præsertim in dispositione fauorabili, iuxta doctrinam Panorm. & aliorum in rubrica de Regularibus: nihilominus in his privilegiis comprehendendi non debent, nisi exprimantur, tum quia ex communi usu constat hanc esse intentionem Pontificum, & ideo ubi volunt plus concedere, id exprimunt: tum etiam, quia licet privilegia cōtineant fauorem, sunt iuxta proprietatem verborum intelligenda, ubi iura ipsa illa non extendunt. Hoc autem intelligimus de illis conuersis, qui tria vota substantialia non emittunt, nam de illis, qui hæc profitentur, non est dubium quin sub illis privilegiis comprehendantur, etiam si monachorum tantum mentionem faciunt, quia licet monachus interdum strictè dicatur ut distinguitur à conuerso, tamen in generali significatione satis propriè significat quemcūque religiosum fratrem. Aduerto vltius si privilegium vtatur aliis verbis generalibus, quæ in rigore non requirant illa vota, extendi posse ad huiusmodi donatos. Talia videntur esse verba illa supra num. 9. citata ex privilegio Benedictinorum, *Omnes, qui in tali religione proposuerunt perpetuo Deo reddere famulatum*: nam hi donati verè, & propriè dici possunt proposuisse, imò & promississe perpetuo in tali religione Deo reddere famulatum. Idem videtur dicendum de his verbis, *Omnes, qui sub obedientia talis religionis viuunt*: nam hoc etià de his personis in proprietate dicitur, quia vel votum obedientiæ emittunt, vel certè promissionem, aut pactum illi perpetuo seruendi: quod satis est, ut dicantur sub obedientia talis religionis viuere. Semper tamen consulenda sunt alia verba ipsius privilegij, ut ex tenore illius verus sensus colligatur: ad quod etiam multum conferre potest religionis consuetudo.

XI.
An laici
seruientes
gaudent
etiam ad
privilegiis.

Sed quid de aliis laicis seruientibus religioni? Respondeo. De his nihil speciale inuenio, quod attinet ad religiones virorum, præter ea, quæ de administratione sacramentorum respectu talium personarum dicam infra, tract. 10. lib. 9. c. 2. tractando de ministerio Societatis erga poenitentes. De seruicibus autem monialium nonnulla tradit Emanuel Rodriguez tom. 1. q. 20. a. 24. quæ in eo videri possunt.

XII.

Vltimò circa hanc absolutionem explicandam superest, quomodo dàda sit. Et in primis quæri potest, an dàda sit solum in foro sacramentali quod iterum occurret tract. 10. lib. 9. cap. 2. n. 24. Et ratio dubij est, quia in his privilegiis sæpè dicitur, ut hæc absolutio detur in foro conscientie tantum. Responderi potest, per hæc verba non significari modum dandi absolutionem, sed effectum eius: quæ duo valde diuersa sunt: potest enim absolutio à censura dari per se, & extra sacramentum Poenitentiae, & nihilominus non habere effectum quoad externum forum, sed solum quoad obligationem in conscientia. Et ita exponunt illa verba moderni Doctores, & reuera in rigore non videntur aliud postulare. Sed difficultatem mihi ingerit quædam declaratio Cardinalium, quam supra retuli n. 4. Nam cum Concil. Trident. sess. 24. c. 6. tribuat Episcopis facultatem absolendi in casibus occultis sed à Apostolica referuatis, & addat illa verba, *In foro conscientie à imposta poenitentia saluari*. Inde colligunt Cardinales, Concilium loqui de absolutione sacramentali in foro conscientie: ergo pari ratione idem dicendum est de quolibet indulto per similia verba concessio. Verum est tamen, illud non affirmari in responsione directâ, quæ in ea declaratione datur, ad dubium directè propositum; sed incidenter in quadam ratione, quæ non semper est efficax, aut necessaria etià in decretis. Nihilominus distinctione vti possumus: nam hæc facultas interdum conceditur solum ad absolendum à peccatis referuatis in fo-

ro conscientie, nulla facta mentione censurarum, & tunc verisimilius est per se concedi potestatem ad absolendum à culpis, à censuris verò consequenter ratione culparum, & ideo tunc censuras non posse tolli nisi in ipso usu sacramenti, & in ordine ad absolutionem sacramentalem: & in hunc modum loquitur Concilium Trid. illo loco, & in hoc videtur fundata dicta expositio. At verò sæpè conceditur hæc facultas directè ad absolendum à censuris, vel à peccatis, & censuris, & tunc directè conceditur absolutio censurarum, & ideo non limitatur ad sacramentalem absolutionem: quia quando potestas alicui conceditur directè, censetur iuxta modum & naturam suam concedi, & ideo extra Sacramentum exerceri potest, cum per se, & natura sua illud non requiratur. Sed quid si indultum dicat, *In foro conscientie, & poenitentiae*? Quidam putant per hæc verba fieri maiorem restrictionem, ita ut facultas sic data etiam directè ad censuras tollendas, restringatur ad forum sacramentale. Dico tamen illa verba vel esse æquiualentia, vel solum addi ad magis explicandum finem & modum huius absolutionis. Quamuis enim censura extra Sacramentum absoluti possit in foro conscientie, nihilominus simul esse debet forum illud aliquo modo poenitentiale, quia absolui non debet nisi qui poenitentiam ostendat, & ad satisfactionem paratus sit, & ideo in huiusmodi indultis addi solet, *Salutari poenitentia, & satisfacta parte*. De quibus particulis quid operentur, & an valor absolutionis ex illarum executione pendat, item, an satisfacta parte, possit hæc absolutio extendi, & valere etiam quoad forum externum, dicemus infra tract. vltimo lib. 9. c. tractando de privilegiis religiosorum Societatis ad absolueudos quoscunque fideles, nam doctrina illa omnibus generalis est. Hæc autem omnia, quæ diximus præcipue pertinent ad absolutionem à censuris à iure latis, in quibus semper comprehendimus latas generaliter ab homine, ut in quinta assert. capit. 20. posuimus, vel quia ex generali consuetudine iam æquiparantur quoad effectum, & quoad absolutionem, vel quia in prædictis indultis exprimitur, ut constat, & statim etiam dicam.

CAPVT XXV.

An superiores religionum possint per sua privilegia absoluerè subditos etiam à censuris specialibus ab homine.

Dicendum verò superest de excommunicatione ab homine speciali, an per hæc indulta tolli possit. Quidam enim moderni affirmant per hæc privilegia concessum esse absoluerè religiosos à censuralata ab homine in particulari contra talem religiosum. ita Emmanuel dict. q. 20. art. 4. non tamen assert expresse de hoc privilegio, sed nonnulla inducit. Primum est, illud Clementis IV. supra citatum cap. præced. in quo facultas hæc extenditur etiam ad casus Bullæ Cœnæ, paucis exceptis, iuxta aliam declarationem Sixti IV. supra etiam allegatam in cap. 21. num. 1. Vnde sic colligitur, qui concessit maius, concedit etiam & minus, in regula, *Qui iur. de regulis iuris*, in 6. ergo qui concedit facultatem à casibus Cœnæ, quæ maior est, cōcedit etiam quicunque censuram ab homine quomodocunque latus. Similis collectio fit ex verbis illis Marci IV. in privilegio Benedictinis concessio, *etiam si talis sit, propter quod esset sed à Apostolica consuleretur, vel quæ a Pontifice referuata consuevit*; item ex illis Eugenij IV. in privilegio Cisterciensibus concessio, *ab omnibus etiam qualitercunque enormibus*. Nam ex his, & similibus verbis potest idem argumentum fieri à cō-

cessione maioris facultatis ad concessionem minoris. Secundò adducit privilegium Gregorij XIII. concessum Generali ordinis Ministrorum infirmorum, ut possit per se, vel alios, absolvere subditos à quibusvis censuris à iure, vel ab homine (*non tamen nominatim*) quomodolibet latis, refert verò Cassarubius in Addit. ad Compendium Mendicantium, verb. *Solutio quoad f. ares.* integram Bullam huius privilegij. Fit autem vis in exceptione illa, *non tamen nominatim*: nam hæc exceptio firmat regulam in omnibus aliis: ergo extenditur illa facultas etiam ad sententias particulares ab homine, dummodo persona non sit nominatim excommunicata. Tertiò addere possumus, quòd in illo indulto Eugenij IV. generaliter, & sine restrictione dicitur, *ab omnibus censuris, & sententiis à iure, vel ab homine, in genere, vel in specie, promulgatis, vel promulgandis.*

II. Nihilominus contraria sententia suaderi potest, retorquendo hæc eadem argumenta. Primum quidem, quia Clemens IV. in dicto privilegio expressè dicit, *à iure vel à iudice generaliter promulgatis*: ergo non est verisimile alia eius generalia verba extendi ad sententias etià particulares, cum illa expressa limitatio ad illas excludendas posita sit. Vnde argumentum illud à maiori facultate ad minorem in potestatis non ordinariis, nec subordinatis (de quibus regula iuris intelligenda est) parum efficax esse, suprà ostendimus. Huiusmodi autem sunt hæc potestates, non proveniunt enim ab extrinseco ex vi proprii muneris, sed per voluntariam Pontificis concessionem, & quasi delegationem, & inter se subordinatæ non sunt: ergo ex concessione maioris non rectè alia inferitur. Maximè, quia quotidie videmus per Iubilæa, vel alia indulta Pontificia cōcedi casus reservatos Papæ, etiam Bullæ Cœnæ, & non concedi censuras ab homine particulariter latis, quia licet in his non sit maior gravitas quoad culpam, & censuram, tamen in earum absolutione concedenda est maior difficultas propter peculiare ius illius iudicis, qui tulit sententiam, & ne perturbetur ordo iudicialis. Et ideo parum probant alia generalia verba de concessionibus casuum reservatorum Pontifici, vel quantumcunque enormium, quia in eis vel est sermo de censuris à iure, vel ad summum per sententiam generalem.

III. Secundo illa particula, *nominatim*, posita in indulto Gregorij XIII. videtur potius excipere huiusmodi sententias particulares: excommunicatio enim, v. g. tunc fertur particulariter in aliquè, quando fertur nominatim in eum; neque apparet quomodo sententia possit esse particularis ex parte personæ, (sic enim loquimur) nisi in illam nominatim feratur. Dico autem, ex parte personæ, quia posset ferri sententia excommunicationis pro dilecto speciali, v. g. furto, generaliter tamen in eum, qui illud commisit, & post trinam admonitionem satisfacere noluit, quia occultus est: tunc enim licet in re ipsa excommunicatio feratur in personam, vel personas particulares, quia particulare factum à particularibus personis necessario exitit: nihilominus ex forma sententiæ generaliter fertur in personas incertas, & de huiusmodi sententia rectè probatur ex vi illius privilegij, & aliorum, ut dicemus, comprehendendi sub hac facultate. Non tamè id probatur de sententia particulari, id est, quæ directè fertur in particularem personam. In quo etiam est considerandum, aliud esse excommunicationem esse latam nominatim in aliquem, aliud verò illi declarari nominatim excommunicatū. Nam potest primū stare sine secundo, declaratio enim non facit censurā, sed supponit, ut alibi dictum est, igitur in illo privilegio non tantum excipitur censura, quam declaratio nominatim facta subsequatur est, sed omnis il-

la, quæ nondum declarata est: sic enim ibi dicitur, vel ab homine, (non tamen nominatim) quomodolibet latis. Sic autem excommunicatio nominatim lata, & excommunicatio per sententiam particularem idem sunt: ergo.

Tertiò, sub generali clausula, *ut est regula iuris*, non comprehenduntur specialia, quæ in particulari cōcedi non consueverunt, præsertim ubi peculiaris difficultas, vel iniuria tertij intercedit; sed huiusmodi est facultas absolvendi à particulari censura ab homine lata, ut constat tum ex usu, tum ex ratione facta, quia cepit aliquo modo in iniuriam iudicis: ergo talis facultas non cōprehenditur sub clausulis generalibus, specialis autem concessio non invenitur: ergo negandum est esse concessam. Et ideo non satis colligitur ex alio indulto Eugenij IV. & Celestini V. nam omnia illa verba generalia sunt. Licet enim in eis dicatur, *à iure vel ab homine*, & infra addatur, *in genere, vel in specie promulgatis*, non satis determinantur verba ad sententias particulares ab homine, nam illa particula, *vel in specie*, non videtur referri ad personam, in quam specialiter fertur censura, sed ad speciem censuræ, vel pænæ: aliquando enim fertur censura sub nomine generali, ut suspensionis, v. g. aliquando sub nomine speciali, ut suspensionis ab officio, vel beneficio. Potest etiam illud verbum referri ad speciem delicti commisi, ut suprà declaravimus.

Nihilominus cenfeo per privilegia religionum absolui posse religiosos, & novitios, seu ingredientiæ religionem ab omnibus censuris latis, etiam ab homine per sententiam specialem. Hoc suadet satis probabiliter privilegium proximè tractatum: nam verba illa, *ut in specie promulgatis*, reuera habet vim, & difficilè distrahuntur ad alios sensus, nam sententia specialis distinguitur à generali; dicitur autem generalis sententia, quæ non fertur in determinatā personam, & propriè dicitur illa, quæ nec ratione delicti determinatur ad auctorem eius: ergo specialis dicitur ratione determinatæ personæ in quam fertur. Et licet verum sit, posse dici specialem eam, quæ fertur in auctorem singularis delicti commissi, licet incognitum, non est tamen cur ad illam solā verba illa limitentur, cum magis propriè sit specialis quæ fertur in personam nominatam, & verba privilegij absoluta sunt. Præterea persuadet omnino, ut opinor, hanc sententiam indultum Pauli III. Societati concessam, & sub his verbis conceptum, *à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliusque Ecclesiasticæ, & secularibus sententiis, censuris, & pænis à iure, vel ab homine, quomodolibet latis, & promulgatis*. Expendo enim illud adverbium *quomodolibet*, si enim absolute dixisset ab homine, posset per argumentum suprà factum restringi ad sententiam generalem; cum verò additur, *quomodolibet*, non habet locum restrictio: nā solum ad hoc addi potuit, ut talis restrictio tolleretur. Vnde infero, doctrinā hanc procedere etiam si quis nominatim denunciatus sit, quia Pontifex non fuit contentus dicere, *quomodolibet latis*, sed addit etiam, *promulgatis*: denuntiatio autem excommunicationis latæ nihil aliud est quam promulgatio talis sententiæ; at sententia quomodolibet promulgata, per hanc potestatem remitti potest: ergo etiam si nominatim denunciatus sit. Et ideo in Compendio Societatis, verb. *Abolutio*. §. 6. ubi de hac facultate fit mentio, simpliciter dicitur, *vel ab homine latis*, sine vlla restrictione, vel declaratione, in quo significatur, nullam esse necessariam. Sed de hoc privilegio iterum in tract. 10. lib. 9. c. 2. n. 22.

Dices. Ergo si contingat religiosum excommunicari ab Episcopo in casu aliquo sibi commissio poterit nihilominus à suo prelato absolui, imò etiam si excommunicatus sit à legato, vel iudice aliquo Apolto-

IV.

V.

VI.

Apostolico. Item licet sit excommunicatus à suo Generali, vel Provinciali, poterit absolui à Guardiano, vel Priore. Quæ omnia videntur absurda, quia sunt contra debitum ordinem, & regimen, & in iniuriam iudicis ferentis sententiam. Sequela autem patet, quia verba illa, *quomodolibet ab homine*, tã generalia sunt, ut omnia hæc comprehendant. Imò in illo privilegio additur exceptio, nisi casus sint adeo graues, & enormes, ut merito censetur Sedes Apostolica consulenda, & declaratur huiusmodi esse solum illa quatuor à Sixto IV. excepta supra cap. 21. num. 1. allata: ergo hæc exceptio firmat regulam quoad omnes alias sententias à iure, vel ab homine quomodolibet latis: ergo comprehenduntur omnes casus supra numerati. Quin potius nisi illi comprehenderentur, non posset hæc facultas exerceri circa religiosos quoad sententias particulares in eos latis postquam religiosi sunt. Consequens est absurdum: ergo. consequentia patet, quia in illo statu iam constituti excommunicari non possunt, nisi vel à suis praelatis, vel ex speciali commissione, & potestate Apostolica. Minor probatur. quia licet in fauorem religionis concedatur hoc privilegium pro his, qui volunt ingredi, non tamen pro solis illis, sed maximè pro iam professis, seu religioni per vota coniunctis, imò ad eos principaliter dirigitur privilegium, ut ex eius tenore constet, & in eo expressè additur, ut absolui possint ab omnibus ante, vel post ingressum religionis in Societate commissis: ergo etiam à sententiis in eos latis quomodolibet ab homine, etiam postquam religiosi sunt.

VII.

Respondendo igitur concedendo sequelam quoad eam partem de censura lata à iudice, vel praelato aliquo extra religionem, quia privilegium ad hæc omnia extenditur, & ex vi alterius privilegii Benedictinis concessi possunt Superiores etiam Locales Societatis iuxta compendium in verbo *Absolutio* §. 10. absolueri subditos à quibuscunque sententiis & peccatis, etiam si talia forent: propter quæ Sedes Apostolica esse consulenda. Additur autem ibi, *ut id fiat præmissa ex parte subditorum debita satisfactione*. Ad hanc autem satisfactionem pertinere existimo, ut quando specialis sententia ab homine præcessit, ut non solum parti læsæ, si qua fuerit, sed etiam Ecclesiæ, id est, iudici (iuxta modum loquendi Evangelij) nam per contumaciam specialem illi facta est specialis iniuria. Oportet ergo ut ante omnia absolvendus à contumacia recedat: deinde, ut satisfactionem exhibeat, vel offerat, aut promittat, prout potuerit, & tandè ut iudicem, à quo excommunicatus est, saltem reddat certum de obedientia sibi, & Ecclesiæ reddita, & absolutione obtenta: ita enim vitantur incommoda, quæ ex dicto privilegio sequi posse videbantur. Et hæc est sufficiens ratio huius interpretationis, quia privilegium ita debet sortiri suum effectum, ut in reliquis omnibus quam minimum lædat aliorum iura, & præsertim ea, quæ ad conuenientem gubernationem pertinent.

VIII.

Ad alteram verò partem, quæ spectat ad sententias maiorum praelatorum eiusdem religionis, dicendum est, in eis esse hoc speciale quod Superiores possunt sibi casus, vel sententias referuare: & inferiorum praelatorum iurisdictionem restringere, non obstantibus privilegiis, ut dictum est. Si ergo superior praelatus hoc modo tulerit sententiam, vel ex Constitutionibus, aut ex consuetudine religionis constituit, hanc restrictionem, seu referuationem esse factam, tunc neganda est sequela, quia quoad hanc partem habet inferior praelatus restrictam, vel non sibi communicatam huius privilegij facultatē. Si autem talis restrictio, vel referuatio non est facta, concedenda est sequela eodem modo, quo in superiori parte dictum est. Et fortasse hæc est inten-

tio superioris praelati non restringentis iurisdictionem inferioris, ut subditus statim ac fuerit bene dispositus, & satisfactionem obtulerit, sine dilatione possit absolui.

CAPVT XXVI.

De potestate praelatorum religionis circa bonorum temporalium administrationem ex prima institutione, à iure antiquo permixtam.

PRæter potestates circa personas, necesse est ut praelatus religionis habeat potestatem circa bona temporalia eiusdem religionis, quia non potest religio omnino carere his bonis temporalibus vel quoad proprietatem, possessionem, & usum, vel saltem quoad simplicem retentionem, & usum, iuxta inuicemque modum: quomodocumque autem habeantur, necesse est ut eorum administratio & cura ad aliquem pertineat. Non potest autem pertinere ad singulos, tum quia per se repugnat ordini, & conservationi rei, tum etiam, quia potius per votum paupertatis simul impeditur, ne propria voluntate, & arbitrio possint de temporalibus bonis disponere, ut supra tractatum est. Quamuis autem hæc potestas in tota communitate, ut sic, esse possit, tamen non potest communis per se ipsam immediatè exercere omnia, quæ ad hanc administrationem pertinent, & ideo necesse est, ut hæc potestas vel omnino, vel magna ex parte praelato commissa sit. Explicandum ergo à nobis est quantum potestas in hoc genere commissum sit praelatis religionis, & ad quos actus, & cum quibus conditionibus extendatur. Quia verò hæc concessio potestatis aliquo iure constare debet, triplex ius hic distinguere possumus, scilicet naturale, commune, seu canonicum, & speciale ex privilegiis seu ordinationibus Pontificum circa singulas religiones. Primò breuiter expediemus, quia fere ad usum non deseruit. Tertium autem latissimè patet, & fere non cadit sub generali doctrinam; sed vnaquæque religio sua debet scire statuta, & privilegia: & ideo solum obiter & gratia exempli aliquod particulare institutum indicabimus. Dicemus ergo præcipuè de potestate, quam ad hanc administrationem habet praelatus religionis iure communi. Et quamuis hæc potestas de facto amplior videatur esse in vniuersalioribus praelatis, quia tamè iura canonica, ut supra notauimus, frequentius loquuntur de Abbatibus, quibus respondent omnes praelati Conuentuales, ideo potestatem hanc in eis explicabimus, unde facili collabit quid de cæteris dicendum sit. Tandem quia actiones huius administrationis variz sunt, omnes possumus ad tria capita reuocare, quæ sunt recipere, conseruare, & alienare. Sub prima comprehendimus omnem acquisitionem bonorum, quæ religioni fit: sub secunda omnem actionem, quæ pertinet ad gubernationem, beneficentiam, augmentum, custodiam, & usum talium bonorum: ad tertiam pertinet omnis consumptio, distractio, seu alienatio, imò etiam omnis vlus talium bonorum.

Primò ergo dicendum est, iuxta primam institutionem religionum, quam ius antiquum admittit, totam administrationem bonorum monasterij esse seu fuisse apud solum Abbatem. Colligitur ex c. nullam 18. q. 2. vbi Pelagius Papa inquit, *Inter sa, quæ vel ad diuini cultus reuerentiam, vel ad utilitatem monasterij pertinent, Abbat in sollicitudo, ad quem potestas pertinet conferre, debeat adimplere*. Hoc autem ius, quantum ex verbis eius colligitur, non constitutum, sed declaratum fuit, non enim de nouo statu-